



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Virgo Lavretana Commentariis Illvstrata Sive Compendiosa Explicatio Litaniarvm Lavretanarvm**

**Dript, Laurentius a**

**Nevhsii, 1673**

Magnæ Matris Virginis Clienti & Amatori Dei, & Deiparæ amoris  
incrementum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-43641**

Magnæ Matris Virginis Clienti &  
Amatori Dei, & Deiparæ amoris in-  
crementum.

**P**Ræsumptionis merito ar-  
guar, quod post tot magnificos de  
Virginis Matris encomijs editos tractatus,  
& ego ad ejus gloriam pro modulo meo ce-  
lebrandam, calamum movere ausus fue-  
rim: hoc attento, quod non sit speciosa laus  
in ore peccatoris, & æquale sit propter tur-  
pia, quàm à turpibus laudari: adhortante  
in super *Eccles. c. 3. Altiora te ne quæsieris, &  
fortiora te ne scrutatus fueris: causam addens,  
Sap. Prov. 25. scrutator enim majestatis oppri-  
metur à gloria.* Fateor dum excellentissi-  
mam Virginis Matris dignitatem, profun-  
dissimamque meam vilitatem considero,  
merito dictam comminationem Sapientis  
metuo: cum tamen ejusdem summam di-  
gnationem, qua quidquid fit pro viribus  
gratum habet, & memoriæ illius suavita-  
tem attendo, scintilla (si tamen) amoris  
quam adhuc in me sentio, facit ut audeam:  
*Non est enim ut ingenuè fatear quod me ma-  
gis delectat, quàm de gloria Virginis habere ser-  
monem, nam de ejus gloria licet nec dignum  
quid*

quid sterilis cogitatio concipere, aut inerudita  
possit loquutio parturire: nec tamen silere de vo-  
tio patitur, spiritus enim ejus super mel dulcis,  
& hereditas ejus super mel & favum, memoria  
ejus in benedictione & in generatione seculo-  
rum. Gloriosa dicta sunt de ea, sed adhuc locus est  
laudationi ejus, adhuc in laudibus ejus omnis  
lingua balbutit. Ut ergo lector MARIANE  
tuæ, ut meæ devotioni servirem & satisfac-  
cerem, paucula hæc collegi: Quamvis enim  
sciam quod MARIAM, nemo digne prædicet, ta-  
men vanus & insanus, quisquis illam reticet;  
cum nec nominari possit quin accendat, nec cogi-  
tari quin recreet affectus diligentium se, nec  
unquam sine dulcedine divinitus insit apia me-  
morie portas ingrediatur.

De Litaniarum (Latania scribit S. Gre-  
gor. lib. 2. Epist. cap. 1. & lib. 7. cap. 76. lib. 9. cap.  
45. & lib. 10. cap. 36. Gregor. Turon. lib. 10. cap. 1.  
Jacob de Vitriaco in ord. Roman. & Ius Canon. in  
Clem. de Reliquijs & venerat. Sanctorum) an-  
tiquitate & dignitate multum præfari su-  
perfluum duxi, cum minus quam certum  
sit eorum usum cum exordio nascentis Ec-  
clesiæ surrexisse, ut fusè probat Justinus  
Miechoniensis in suo in has Litanias com-  
mentario.